

Tabacci cujuscumque usus ante Missam et communionem indecens est, ut notant passim Doctores et signanter *La Croix* lib. 6. part. 2. n. 560. ubi dicit, quod Urbanus VIII. Constit. 161. et Synodus Coloniensis pag. 88. prohibent, ne ullus Clericus vel Laicus ante Missam vel Communionem sumat Tabacum nasale; si autem Tabacum traheret fumo, adhuc magis dedeceret, uti notant Doctores cum Busemb. lib. 6. part. 1. tr. 3. cap. 2. dub. 2. art. 2. vers. Et si parvitas, et multo magis dedeceret, si masticaretur.

An vero sumptio Tabacci frangat jejunium naturale? Variant Doctores. *Antonius* enim de Leone in quaestionibus moralibus de Chocolata part. 1. §. 4. n. 10. et seq., *Lezana* tom. 2. verb. Eucharistia n. 16. et alii, dicunt violari jejunium naturale ad Communionem requisitum, quando aliquis fumum vel pulverem Tabacci naribus sumit. *At vero rectius hanc sententiam rejiciunt Diana* part. 5. tract. 13. resolut. 1. et part. 8. tract. 7. resolut. 3., *Pasqualig.* in praxi jejunii decis. 438., *Lugo* in respons. moral. lib. 1. dub. 9., *La Croix* lib. 6. part. 1. n. 570. cum aliis ibi citatis et alii passim; et ratio est, quia illa non est vera comestio vel potatio, quibus solis jejunium solvitur; sed vel est tractio salivae vel respiratio vel attractio seu efflatio narium.

Difficultas major est de his, qui folia Tabacci ore sumunt et dentibus conterunt ad sputa et phlegmata ex ore projicienda. De istis enim *Antonius de Leone* loc. cit. dicit non esse dubium, quod violent jejunium, quia semper aliquid ex succo in stomachum trajicitur; et ipsum sequuntur alii et praesertim *Lezana* l. c. dicens frangi jejunium, nisi moraliter certum sit, nihil in stomachum pervenisse. Et *Alphonsus de Leone* et *Joannes Praepositus*, quos affert et

sequitur *Diana* loc. cit., *Raynaud.* in *Heter.* tom. 16. sect. p. 3. n. 23. et alii dicunt non violari jejunium, si nihil in stomachum trajiciatur: *Gobat* autem t. 1. tr. 4. n. 265., *Burg. et Mercant.* cum *La Croix* lib. 6. part. 1. n. 569. et alii plures et ex professo *Lugo* in Respons. moral. lib. 1. dub. 6. n. 5. dicunt, per id minime frangi jejunium fateturque ibi *Lugo*, quod talis sit praxis Doctorum et piorum virorum, qui absque ullo scrupulo Tabacco utuntur et ejus folia primo mane ore versant et dentibus conterunt et postea ad Communionem et Missam celebrandam accedunt sicque sibi respondisse omnes a se consultos „viros doctos et Theologiae Professores volentes, quod ad hoc, ut Tabacum ore sumptum et dentibus contritum sputa et phlegmata aliosque superfluos humores attrahat, non sit necesse ut aliquis succus foliorum Tabacci descendat in stomachum, quia fieri potest per vim attractivam, ex consensu linguae et palati cum stomacho, cerebro aliisque partibus continentibus. Caeterum tenendum est, quod si aliquis Tabacci succus in stomachum trajicitur, tunc frangatur jejunium naturale; secus autem non, ut praeter supracitatos cum aliis docet etiam *Pontas* verb.: *Missa* cap. 6.

Tabacci praesertim excessivus usus, ni dicam abusus, non parva affert incommoda, si expertibus in arte medica fidem habere velimus. *Simeon Paulus* enim Medicus Regius Tarbusiensis pag. 8. terg. litt. D. sic expresse habet: Quotus quisque ergo est, nisi ipse sit Architabaccarius atque adeo animo occupato, qui non intelligat, quod meatibus aut foraminulis ossis ethmoidis a pulvere Tabacci obturatis, cum cerebrum per os ethmoidis neque aërem, ut eo ventiletur, neque rerum odorabilium species admittere possit, quin necessario

olfactu intercitat.“ Et paulo post: „Cum ergo ad nasi radices usque pulvis Tabacci narcoticus magna copia violenter attrahatur et punctum temporis natura otiosa non sit ac in vivo corpore ex Decretis Hippocratis nostri, omnia sint permeabilia ac transpirabilia, utique aliter fieri non potest, ut innui, quin partes olfactui destinatae a narcotica Tabacci facultate affligantur.“

Et Jo. Chrysostomus Magnenus, Professor Medicus in Universitate Ticinensi, Exercit. 8. §. 4. sequentia Tabacci incommoda recenset: „Primum incommodum est Odoratus abolitio; membranarumque nervique odoratorii exsiccatio, processuum mamillarum tabes, ut probavimus.“ §. 15. Exerc. 6. secund. „Inducta cerebro intemperies, quae memoriam labefactat. Tertio operantur in Medicina isti, quando quiescere licet, quod furoris genus appellat Celsus. Quarto attrahunt a ventriculo ad cerebrum humores pravos immoderateque exsiccatione aliqui vix sibi satis constant. Quinto senium, mortem accelerant adventitia siccitate humido radicali infesta. Sexto febribus acutis magis obnoxii redduntur, itemque deliriis, et phrenetidi. Septimo, vidi non neminem, cui insanus hujus pulveris usus crystallinum corrogaverat humorem, unde et fluitantia cernebat objecta. Octavo durior auditus fit iis, qui parvum caput sortiti sunt tinnitusque aurium cuiuspiam contingit effrenato hujus pulveris usu.“

Tabacum Jacobus VI. Britannorum Rex interdixit suo in Regno, bene persuasus ex ejus usu corpora hominum enervari.

Et Amuretus IV. Turcarum Imperator sub poena capitali ipsum prohibuit, teste dicto Magneno Exerc. 6. §. 10. et 11. ne subditi vel inebriarentur vel infoecundi redderentur.

Quamvis Tabacum cujuscumque generis ante et paulo post celebrationem Missae et sumptionem Eucharistiae, quaedam Synodi etiam sub Censuris interdixerint; qua propter his suffulti auctoritatibus *Clericatus* de Sacrament. Eucharist. decis. 54. num. 12. cas. 2., *Natalis Alexander* Theolog. Dogm. et moral. t. 1. in append. 1. variar. Epistol. 45., *Sarnellus Episcopus* tom. 6. Epistol. ecclesiastic. Epist. 30., *Hurtad.* resolut. moral. tom. 2. tract. 11. cap. ult. docuerunt, oportere ac decere, ut Episcopi in suis Synodis edicant, ut a nemine ante Missae celebrationem aut sanctissimae Eucharistiae perceptionem, tabacci folium manducetur; *Benedictus XIV.* De Synodo dioecesana lib. 7. cap. 63. n. 3. relicta in medio seu indecisa quaestione de tabacci folii masticatione, tradit nequaquam hodie expedire, ut usus tabacci fumi aut pulveris naribus attracti sub Censurarum poena interdicator, cum hodie a communi consuetudine sit adeo talis usus cohonestatus, ut nulli prorsus scandalum praebat aut admirationem causet. Unde nimium severus notaretur Episcopus, qui dictis antiquis Synodis insistentes dicti Tabacci usum aut omnibus ante sacrae Eucharistiae perceptionem aut solis Sacerdotibus ante Missae celebrationem interdiceret, adjecta praesertim in transgressores Censurarum poena.

TABELLA.

1) Casuum reservat. in sede confess.

Vd.: *Visit. de Poenitentia.*

2) Horaria.

a) Pro adorat. SSmi expositi.

Vd.: *SS. Sacram. (adorat.); Expos. SSmi (adoratio.)*

b) Pro chori servitio et missis legendis.

Ad dub.: An tabella horaria ab Episcopo praescripta sit servanda a Canonicis Ecclesiae Suessanae seu potius sit servanda tabella antiqua horaria?

S. C. C. resp.: Ad Emmum pro nova confectione tabellae ex integro. Die 18. Augusti 1708 ad 1.

Ad dub. I: An Beneficiati, quibus ex fundatione non est statutum certum tempus celebrationis, cogi possint diebus dominicis, festis et publicarum precum Missam celebrare certis horis Tabella praefiniendis? Et quatenus affirmative.

II: An et a quo sit conficienda tabella?

S. C. resp. ad I: Affirmative et amplius;

ad II: Tabellam esse conficiendam a Parocho cum approb. Ordinarii et amplius. Die 14. Martii 1767.

Vd.: *Sacerdos celebrans ex oblig. propt. populi commodum.*

Urbevetana.

Est in dioecesi Urbevetana Castrum nuncupatum s. *Venantii*, cujus populi spirituali servitio unus Parochus olim reperiebatur addictus, deficientibus penitus Capellanus seu quibusvis alterius generis Beneficiis, quorum Rectores aut sacro pabulo eum recreando aut recitatione Missarum Parocho ipsi ferrent suppetias. Pietatis ductu ac religionis Canonicus quondam Carolus Misericordi ex eodem Castro postrema suae voluntatis dispositione cavit, ut sine filiis defuncto Paulo Antonio fratre, quem ex Asse haeredem scripserat, ex quibusdam proprii patrimonii fundis perpetua mere laicalis Capellania constitueretur in Ecclesia s. Liberatae dicti Castri cum onere seu per se seu vero per alium quolibet die festo

adorandum in illa Sacrificium offerendi; simulque vetuit huic oneri per Parochum satisfieri, eademmet die alteram Missam in una ex Ecclesiis Castri celebrari curaret. Patronatum vero activum atque passivum certis reliquit familiis in testamento designatis.

Mortuo absque prole Fundatoris haerede, factus est locus erectioni volitae Capellaniae, quae anno 1752 auctoritate Episcopi ordinaria peracta fuit. Primus eam obtinuit Romualdus Hippoliti, cui per legitimam praesentationem modernus Rector successit Sacerdos Crispinus Buldrini. Sane Parochus tantum in eo Castro dominici Gregis vigiliis custodit et ad omnes sui muneris partes rite obeundas sive in audiendis Exomologesibus sive in Sacramentis administrandis sive in infirmorum cura, cogitur de mane diebus Deo sacris Missam facere: Populus autem in unum ad Ecclesiam eadem hora convenire non potest. Matribus siquidem necesse est infantes regere; nonnullis vero, prout agricolis pastoribusque usuvenire solet, in custodia boum et armentorum occupari; aliis demum ad alia remanere negotia, dum familiae reliqua pars ad audiendam Missam se confert. Unde accidit saepius, quod multi Sacro non intersint, nisi praesens afferatur remedium.

Cui quidem malo mederi facile posset Sacerdos Buldrini Capellaniae, de qua diximus, Rector; qui tamen existimans, lege foundationis attendita, liberum sibi esse quamcumque horam magis benevisam eligere, sine respectu ad populum, eoque non exspectato, Missam recitare consuevit. De hoc doluerunt sibi Massarii illius Castri, qui, porrecto supplicii libello sacro huic Senatui usque ab anno 1771, petierunt declarari, an Capellanus praefatus congrua temporis spatia post Missam parochialem observare tenea-

tur, ut incolae, qui illam audire nequeunt, ad secundam possint accedere.

Episcopus de sententia tunc interrogatus putat Capellanum propria libertate frui ex pontificii Juris dispositione statuentis, tum quod Presbytero liberum sit quavis hora canonica Missam peragere. *Can.: necesse et can.: nocte sancta de consecr. dist. 1., tum etiam quod nova onera, praeter contenta in literis foundationum, Capellanis non debeant imponi, Sacra Congregatio in Florentina 12. Martii 1718, et Fagnan. in cap.: Conquerente de Cler. non resid. num. 17.* Haec militare in hodierna quaestione, dum Testator horas ad celebrandum non praefinivit. Quamvis autem Fundator in Parochum adjecerit prohibitionem, de qua meminimus, ex ea tamen erui posse credit, vel respexisse illum ad onus Missae pro populo diebus festis Animarum Pastoribus inhaerens, unde nequeat Parochus duplex praeceptum adimplere; vel ad summum optasse, quod iisdem diebus successive et alternatim Sacrum bis diceretur, non autem hora populi indigentis accommodata. Verum adesse insuper duo in Castro Sacerdotes, qui valeant succurrere, prout in pastoralis Visitatione ipse providit, praescribendo diversas horas pro celebratione, quarum postrema alternatim ab omnibus, nec Parocho excepto, observanda est circa Meridiem. Ita arguit Urbevetanus Episcopus.

Ideo prodiit die 14. Martii 1772 Rescriptum: *Ponatur in Folio, citata parte.* Quoniam vero iudiciale experimentum reformidavit populus, hinc siluit res usque adhuc. At necessitate suadente nunc preces renovant Massarii, ut EE. PP. horam celebrationis Campanae sonitu significandam et Parochi iudicio opportunam Buldrinio praestituant, cum alii duo Sacerdotes Castrum deseruerint et solus ipse in-

veniatur ibi, sicuti Parochus testimonio proprio confirmat.

In quo conflictu, quid sacrae leges ferant quaeve Fundatoris placita fuerint, animadvertendum se offert. Certe Ecclesia, quae ab Apostolorum aevo generali lege statuit, ut fideles omnes diebus dominicis aliisque festis Missae interessent, eadem ipsa sollicita maxime fuit, ut illius audiendae omnimodis copia suppeteret. Hinc factum est, ut quamvis Romae et Alexandriae unicum in singulis titulis eodem die Sacrificium ageretur, ut animadvertunt *Ballerin. in adnotat. ad Episc. 9. s. Leon. n. 5.,* nihilominus Dioscorum Episcopum Alexandrinum s. Leo Pontifex per apostolica scripta monuerit, sacrum Conventum ad subveniendum populis esse iterandum: *Ut autem in omnibus observantia nostra concordet illud quoque volumus custodire, ut cum solemnior quaeque festivitas conventum populi numerosioris indixerit et ea fidelium multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul una non posset, Sacrificii oblatio indubitanter iteretur: nec his tantum admissis ad hanc devotionem, qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum confluerint, non recepti: cum plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties Basilicam, in qua agitur, praesentia novae plebis impleverit, toties Sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem, ut quaedam pars populi sua devotione privetur, si unius tantum Missae more servato Sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint. Studioso ergo dilectionem tuam et familiariter admonemus, ut quod nostrae consuetudini ex forma paternae traditionis insedit, tua quoque cura non negligat, ut per omnia Nobis et fide et actibus congruamus, d. Epist. 9. edit. Ballerin. viden. adnotat. citat. tom. 2. Op. pag. 1309. seqq. Inde etiam ec-*

ecclesiastica disciplina atque praeceptum de unius Sacrificii actione a quolibet Presbytero eadem die excipit Parochum duabus praelatum plebibus, quin tenetur *duas in unaque scilicet Parochia Missas celebrare, ne alterutrius Ecclesiae populus die festo sacro audiendo excludatur*; Ben. XIV. de Synod. dioeces. lib. 6. c. 8. n. 2. Sapienter equidem ac salubriter talia instituta sunt seduloque disposita, ut illius excellentissimae charitatis, quam in sua Passione Christus monstravit, jugis apud fideles memoria maneat, ut immaculatae oblationis salutari praesentia recreentur, utque *Sacerdos preces populi Deo offerat et pro eorum peccatis Deo aliquantulum satisfaciat*; s. Thom. 3. par. qu. 22. art. 1. in Corp.

Recte igitur communior Theologorum sententia docet: *Sacerdotem, qui nec animarum curam neque beneficium neque stipendium obtineat, rem divinam operari debere, cum necessitas id postulaverit, veluti si die festo aliqua parochia Sacrificio careret, eo quod pars populi celebranti Parochus interfuerit, reliqua vero satisfacere praecepto nequeat, quia tantae hominum multitudini Ecclesia satis non fuerit*, ut ait S. M. Bened. XIV. Institut. Eccles. 94. num. 18., quod potiori ratione affirmandum videtur de servanda celebrationis hora populo necessaria.

Sane uberrimo fructu carere ut plurimum fideles debent, ni divinae adstant oblationi, cujus quidem gratiae ab omnibus pie sancteque audientibus percipiendae eos privare sola libertatis et quietis causa nefas esse videtur Sacerdoti, qui monente *Apostolo Philipp. 2.* non debet quae sua sunt considerare, sed ea, quae aliorum, sacerdotale namque postulat ministerium, ex s. Antonini sententia in

Summ. par. 3. tit. 14. cap. 7., exhibere tempore suo Sacramenta sancta et orationum munimenta, unde dicitur Sacra dans.

Denique fuse tradit *Ceccoper. Lucubr. canon. lib. 3. tit. 12.* plurimum Doctorum vestigia premens, teneri Sacerdotes quoscumque ad celebrandum obligatos Missam inchoare debitis horis atque temporibus aptis juxta ordinem Tabellae vel mandatum Sacristae pro populi commoditate, etsi Capellania de Jurepatronatu laicorum obtineant et Episcopi partes esse in actu visitationis providere, ut prima Missa summo mane et dein caetera debito intervallo usque ad meridiem, praesertim diebus festis ad populi solatium recitentur. Nec quicquam obstare juris theorema, quod non possit Episcopus novum onus imponere Capellaniae Jurispatronatus Laicorum, quia id intelligitur de majori Sacrorum numero, non autem de norma ordinate peragendi Missas in fundatione adjectas, quod onus nec novum est, cum ab ipso jure sit impositum et ei Fundatorem se voluisse conformare praesumitur. Immo nec Fundatoribus ipsis, quamvis mere laicales ordinent Capellaniae, licere pactum apponere, quod Rectores temporibus et horis sibi benevisis libere possint celebrare, quod in detrimentum vergeret servitii Ecclesiae et cultus divini. Haec ille. Ac revera laudabiliter s. *Carolus Borromaeus* aliique Episcopi synodalibus Constitutionibus providerunt, ut in Ecclesiis, in quibus plures Missae recitari solent, per distincta temporum intervalla ad populi commoditatem dicantur a primo mane usque ad meridiem seu alias per congrua spatia, in *Conc. provinc. Mediolanen. I. part. 2. tit. : quae pertinent. ad celebr. Missar. ; Ravennaten. anni 1317 cap. 12., Hispanen. anni 1512 cap. 12., Lucan. anni 1681 part. 2. cap. 8. num. 16.*

Fulginaten. Battistelli cap. 20. §. 6. Rationem reddit *Brach. Prompt. Synod. cap. 81. num. 26.,* quia Presbyteri non unice pro ipsorum utilitate promoveantur sed etiam Ecclesiae et populi.

Sacra Congregatio Episcoporum et Regular. in Januen. 18. Martii 1578, quod refert *idem Brach. loc. cit. n. 29.* respondit, Sacerdotes etiam, qui ex sola propria devotione vel vigore Jurispatronatus celebrant, horis Ecclesiae commodis Sacrum facere debere.

Observare autem praestat, quod Episcopus ipse Urbevitanus in actu visitationis jussit, ut Parochus ac tres reliqui Sacerdotes, quot tunc erant in Castro s. Venantii moram trahentes, diebus de praecepto festis diversa hora et ultimus circa meridiem sacrum conficeret. Quumque Parochus, ob causas superallatas, diluculo oporteat celebrare, videndum, an Sacerdos Buldrini solus praeceptum de Missa meridiana servare cogatur.

Verum nec Fundatoris voluntas praetereunda est. Verba testamenti haec sunt: *Vuole, e determina, che d'un suo Podere in vocabulo etc., come anche d'altro Tenimento in vocabulo etc., si formi, e costituisca una Capellania perpetua nera Laicale nella Chiesa di s. Liberata fuori del Castello di s. Venzano, e che il Rettore di Essa sia tenuto celebrare in detta Chiesa una Messa in perpetuo in ogni giorno festivo, e che detta Messa non si possa soddisfare dal Curato pro tempore di detto Castello ogni qual volta, che questo non faccia dire altra Messa nello stesso giorno, o nella Chiesa parrocchiale o nella stessa Chiesa di s. Liberata, o altre Chiese di detto Castello.*

Quibus spiritualibus auxiliis indigeret populus patriae suae noscere debuit Testator et ad Fundatorum men-

tem eruendam plurimum valent circumstantiae loci, temporis ac personarum. Unde, an prohibitio in Parochum lata a Canonico Misericordi suadeat, voluisse illum fidelium necessitati potius consulere, dijudicant EE. PP., quorum spectatissimae doctrinae ac prudentiae difiniendum proponitur.

An et qua hora Rector Capellaniae Misericordi diebus festis teneatur Missam celebrare in casu?

S. C. resp.: Teneri pro hora ab Episcopo designanda et scribatur juxta instructionem.

Die 15. Martii et 19. Aprilis 1777.

Ad dub.: An PP. Carmelitae Aquen. possint dare signum et celebrare missam in diebus festis eodem tempore vel antequam detur signum et celebretur missa parochialis?

S. C. C. resp.: Affirmative. Die 9. Junii 1708 ad 14.

Ad dub.: An horae pro celebratione Missarum solemnium aliarumque ecclesiasticarum functionum in Ecclesia sint determinandae a Rectore vel a Beneficiatis?

S. C. resp.: Juxta votum Episcopi. Die 12. Martii 1757.

Ad dub.: An sit officii praefecti chori in solemnitatibus Nativitatis et Paschatum curare ut fiat syllabus seu catalogus, in quo describantur per ordinem omnes, ad quos de jure et consuetudine spectat peragere illas sacras functiones?

Resp.: Syllabus seu catalogus eorum, qui sacra solemnia facturi sunt iisque ministrare debent, fieri generatim solet a caeremoniarum magistris adjecta superioris approbatione. Ita viget in alma urbe et praecipue in Ecclesiis patriarchalibus, ubi initio cujusvis mensis vel hebdomadae apponitur in sacrario dictus catalogus a primo

caeremoniarum magistro dispositus et a Vicario Capituli, id est ab eo, qui choro praest, approbatus. Quod fit in urbe, peragi quidem posset extra in aliis ecclesiis et non solum diebus solemnibus Paschatum et Nativitatis, sed etiam in caeteris totius anni functionibus. Proinde ad casum praedictum S. C. resp.: „Disponatur catalogus pro omnibus chori functionibus a caeremoniarum magistro et a prima dignitate seu chori praefecto approbetur.“

Die 7. Septembris 1861.

(Anal. J. P. 1863 pag. 2249.)

Vd.: *Missa* (distributio).

Conficere tabellam horariam pro divino Officio celebrando aliisque exemplis functionibus ecclesiasticis spectat ad Archidiaconum uti Cantorem (Metropol. Hydruntinae); ad eundem spectat auctorante Archiepiscopo et juxta solitum alteram tabellam designativam eorum perficere, qui debent canere Evangelium et Epistolam. N. 4358 ad 2. et 3. die 7. Dec. 1771.

Ad dub.: An sit Officii praefecti chori in Solemnitatibus Nativit. et Paschatum curare, ut fiat catalogus, in quo describantur per Ordinem Omnes, ad quos de jure et consuetudine spectat peragere illas s. functiones?

S. C. resp.: Catalogum pro omnibus chori functionibus disponendum a Caerem. Magistro et approbandum a prima Dignitate seu praefecto chori.

Die 7. Septembris 1861.

3) Missarum legendarum et lectarum.

Vd.: *Missa* (descriptio). *Stipendia* (utrum acceptatio licita sit a Sacerdot. et Eccles. etc.?)

Cum absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera missarum supra vires suscipiantur, caveant omnes et singuli Rectores quarumcumque tam saecul. quam regul. ecclesiarum seu

illarum Capitula, ne missas tum perpetuas tum temporales et manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquo modo suscipiant atque idipsum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere semperque in loco magis patenti et obvio retinere tabellam onerum perpetuorum et tempor., literis perspicuis et intelligibilibus descriptam; quorum implemento si moraliter et intra praescriptum sed breve tempus satisfacere non posse seu illa dumtaxat et non alteriora adimplere posse crediderint seu credere debuerint, alias missas sive perpetuas sive temporales sive manuales per se vel per interpositas personas quoquomodo recipere seu acceptare omnino desistant et ulterius tali casu in eadem tabella similiter expriment, sese propterea aliis missis acceptandis et celebrandis esse impares.

S. Conc. Trid. Die 23. Nov. 1697.

Non potest Episcopus, nisi habeat privilegium speciale, compellere Regulares ad exhibendos libros Sacristiae, in quibus adnotantur celebrationes missarum, ad hoc, ut ex iis constare possit de satisfactione obligationis debita ex legato pio,

S. C. C. 10. Maji 1663. *Urbinat.* (Conc. Tr. S. 22. c. 7. de refor.)

Vd.: *Stipend.* (liber etc.); *Missa* (descriptio). *Visit. de missae celebr.*

DECRETUM S. CONGREGATIONIS VISITATIONIS APOSTOLICAE.

Inter gravissimas apostolici ministerii sollicitudines Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. curam piarum institutionum maximam gerens, tum ut fideliter impleantur, tum ut bona iis addicta diligenter administrentur, data per hanc S. Congregationem Encyclica die 14. mensis Augusti anno 1847 jusserat ut aedis sacrae cuilibet Curatores de simplicibus Bene-

ficiis, de Capellanis et Legatis piis singula diligenter referrent, ut descripta et per elenchos disposita in Tabulario hujus S. Congregationis observarentur. Ita exploratis atque collectis, quae piarum institutionum originem, quae onera, quae fundos assignatos, bonorum statum, augmentum, imminutiones, administrationem respiciunt, vigilare accuratius poterit Sacra Congregatio ad munus sibi creditum obeundum; efficietque ne mora interponatur exequendis piorum Testatorum voluntatibus, ne deficientibus legitimis hypothecarum inscriptionibus aut transcriptionibus vel administratorum negligentia piarum institutionum bona minuantur. Praeterea avertet commodius invalescentes abusus, vitabit continuas onerum diminutiones ac frequentissimas remissiones. Opus hoc utile in primis ac laboriosum cum publicae calamitates hucusque distulerint, quo tandem ad exitum perduceretur Sanctissimus Dominus Noster eidem S. Congregationi commisit, ut methodum et media significaret, quae rei gerendae magis accommodata esse viderentur. Quapropter Eminentissimi ac Reverendissimi S. R. E. Cardinales s. Visitationi apostolicae praepositi re diu considerata, cum constituerint methodum, qua tantae molis negotium mediocri impensa atque omni solertia absolveretur, et aequum esse censuerunt ex ipsis legatis piis necessarios sumptus comparari, quibus servandis novus hic labor inservit. Verum cum viderint simplicem onerum revisionem, quae in hac S. Congregatione pervetusto usu adhibetur, prodesse maxime ad tuendam Legatorum piorum solutionem, nonnulla avertenda esse incommoda existimarent, quae in exhibendis libris occurrunt. Hisce animadversis in Comitibus generalibus habitis in Palatio apostolico Vaticano die 21. mensis Augusti hujus anni decreverunt:

I.

Beneficiati et Capellani libros Missarum apud se retinentes, eosdem ad Sacrariorum Praefectos et ad Rectores Ecclesiarum deferent intra duos menses cujusque ineuntis anni, indicta contra refragantes mulcta unius Julii pro quolibet die.

II.

Ecclesiarum Rectores et Sacrariorum Praefecti intra tres menses cujusque ineuntis anni omnes deferent Missarum libros ad Secretariam Sacrae Congregationis Visitationis apostolicae eorumque nomina denuncient, qui libros ipsis exhibere fortasse detraxerint idque sub poena Juliorum quinque pro quolibet die.

III.

Ex singulis centum Missis quotannis celebrandis trium Missarum celebratio ad tempus remittatur, quarum eleemosynae novis sumptibus a S. Congregatione faciendis inservient et si quid inde pecuniae superesse contigerit, in Missarum celebratione fideliter impendatur. Hanc solutionem per semestria quaeque intervalla (quorum a die prima Julii mox elapsi inchoatum statuitur) exequi teneantur penes Secretariam S. Congregationis Basilicae omnes tam patriarchales quam collegiatae omnesque Ecclesiae, quotque in Urbe ejusque Territorio sunt cum Saecularium tum Regularium, iis solummodo exceptis, in quibus una tantum Missa quotidie celebratur: ad eandem solutionem teneantur etiam singuli Capellani et Beneficiati.

Quae omnia cum ad SSmum Dominum Nostrum relata fuerint die vigesima tertia ejusdem mensis Augusti, Sanctitas Sua auctoritate apostolica adprobavit confirmavitque atque illud praeterea jussit, ut in Ecclesiarum Sacrariis praeter Missarum onerum tabellam altera quoque distincta pa-